

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm  
Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei  
mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda,  
tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones  
humanas iuxta ...

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

Sect. I. Quid nomine Incarnationis Verbi diuini intelligendum sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38954**

## CAPVT I.

*De veritate mysterij Incarnationis.*

## SECTIO I.

*Quid nomine Incarnationis verbi diuini intelligendum fit.*

**P**er Incarnationem diuini verbi nihil aliud intelligunt sancti Patres & Doctores (vt ex infra dicendis constabit) quam duplicit in Christo naturæ, diuinæ scilicet ac humanæ coniunctionem, vel (vt breuius loquamur) verbi dñini cum carne humana vnionem; ita vt in illa duarum naturarum vnione, diuina quidem natura per propriam hypostasim ipsius verbi diuini subsistat; humana vero natura non per propriam (vt sit in alijs hominibus) sed per alienam nempe diuinam terminetur; vnde vno hæc appellatur hypostatica, seu personalis, eo quod duas adinodum dispares naturæ, diuina scilicet & humana, in una eademque hypostasi, seu persona diuina vniantur, & subsistant, non confusione aliquâ vtriusque naturæ, neque conuersione vnius in alteram, sed (vt loquitur S. Athan. in symb.) assumptione humanitatis in Deum.

Quare in isto incarnationis vocabulo per nomen carnis, non ea sola humanæ naturæ pars significatur, quæ vocatur corpus, sed ipsa tota natura humana, ex carne seu corpore organico, & anima rationali constans, quæ in significatione frequenter in sacris scripturis sumptum reperitur, Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam: S. Luc. 3. Videbit omnis caro salutare Dei.*

Quamvis autem mysterium istud varijs nominibus, & vocabulis apud SS. Patres expressum reperiatur, & ali-

quando dicatur, *divini verbi corporatio* vt à S. Hil. in prologo super Ps. aliquando *contemporatio diuinitatis cum humanitate* vt à S. Greg. Nyss. orat. catechet. cap. 11. aliquando *inhumanatio, aëconomia, &c.* vt à S. Damasc. lib. 1. de fide cap. 13. & alijs; *vñus tamen communiter inuauit*, vt *Incarnationis vocabulum tanquam omnium ap̄tissimum ad illud significandum cæteris omnibus præferretur*, vnde antiquissimi Ecclesiæ Patres illo vñi sunt, vt S. Cypr. lib. 2. contra Iudeos, S. Ambr. in cap. 2. S. Luca, S. Hieron. in cap. 1. S. Marci, S. Aug. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 24. & plures alijs, qui videntur illud defūpsisse ex eo loquendi modo, quo S. Ioannes cap. 1. mysterium istud expressit dicens: *Et verbum caro factum est*: & certè vocabulum istud *Incarnationis omnium optimè ineffabilem Dei erga nos charitatem exprimere videtur*, qui propter nos viles & abiectos homunciones, *cō vñque maiestatem suam demittere dignatus est*, vt (sicut dicit Apost. Hebr. 2.) *carni communicauerit & sanguini, illudque nobiscum commune habere voluerit*, quod *cum vilissimis & abiectissimis animalculis nobis commune est*.

## SECTIO II.

*Quomodo huius mysterij veritas contra  
Ethnicos probari possit.*

Cvm ( vt Apost. princeps edixit ep. 1. cap. 3. ) *debeamus semper esse parati ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, que in nobis est, sive possint que variae occurrere occasiones, in quibus necessitas aliqua, vel saltem utilitas audientium id à nobis exigere videatur; idcirco, quod alij fusiùs, nos huc breuiter, & quantum compendij ratio ferre potest, exequemur; ostendemusque, quibus argumentis contra ipsos Ethnicos, & Paganos hoc dominica Incarnationis mysterium demonstrari possit: ad illius autem veritatem demonstrandam duo præfertim huc nobis probanda sunt; i. quod*

L

vnio